copus plus ante electionem suam in prebendis haberet, quam postea de episcopatu. Misit interea frater eius, dux et comes palatinus Fredericus, archiepiscopo in auxilium strennuum quendam militem, dominum videlicet Martinum Ruyschener, et quendam alium militem satis animosum, qui cognominabatur buck; Unde et alii armigeri etiam hoc nomine vocabantur. Ut igitur memoratus dominus Ropertus archiepiscopus, proventus, redditus, cum theloneis vidit inpignorata: cepit attemptare, ut illa rehabere posset. ~~Per consilium igitur fratris sui~~. Per consilium igitur fratris sui et aliorum satis industriose cepit castra inpignorata et alios redditus ecclesie; In quo facto ei civitates assistenciam fecerunt, precipue civitas Nussiensis, quamvis postea eadem civitas minime cum episcopo concordaret, quia duos militares, scilicet ~~in gratiam~~ magistrum milicie sue cognomento Buck et Fredericum Scoiff, decollaverunt ac in quatuor partes diviserunt, suspendentes ante portas singulas partem unam, capitaque ac intestina eorum sub rotis circa leprosorium. Acta sunt hec anno Domini 1472. Unde exacerbatus archiepiscopus cum suis propter hec et alia valde vexavit Nussienses per dominum Martinum Ruyschener ex castro suo Lyn. Qui postea captus cum aliis duobus militibus in auro et multis militaribus ac rusticis ex terra Lynnensi et kempensi, exactionati sunt a Nussiensibus et positi in turribus. Videns igitur archiepiscopus, se non posse resistere civitati Nussiensi et Coloniensi ac aliis civitatibus, Adduxit